Sententiarum aliquot de municipiis Romanorum post Niebuhrium propositarum examinatio ac dijudicatio.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

1. *Qui potissimum viri post Niebuhrium sententias de municipiis Romanorum proposuerint?*

Constat Niebuhrium sicut pleorumque institutorum, quae ad rem publicam Romanam pertinerent, ita accuratiori rei municipalis cognitioni viam utique aperuisse. Fusius ille de origine ac notione municipiorum disputavit in Hist. Rom. Tom. secund. Berolini ante hos unum et triginta annos edito inde a pag. 56—88. Est autem sane haec quaestio difficillima, id quod jam veteres probe perspexerunt; afferre liceat A. Gellii verba Noct. Att. XVI, 13: „Municipes et municipia verba sunt dictu facilia et usu obvia, et neutiquam reperies, qui haec dicat, quin scire se plane putet, quid dicat. Sed profecto aliud est, aliud dicitur.“ Post Niebuhrium autem, qui sequentibus rerum Romanarum indagatoribus facem quodammodo praetulit, in exploranda municipiorum natura ac ratione multorum virorum industria sollerter versata est, exstiteruntque, qui non solum a Niebuhrio multifariam discreparent, verum etiam vehementer inter sese disceptarent, necdum lis, ut dici solet, sub judice esse desiit. Nos nunc dum sententias de re municipali post Niebuhrium a diversis propositas examinare ac dijudicare suscipimus, ante omnia circumspiciamus necesse est, qui sint illi, de quibus potissimum hic nobis agendum erit. Hos quo facilius perspici et percenseri possint, in ipso disquisitionis nostrae principio sub unum omnes conspectum congerere placet.

Inter eos antiquitatum Romanarum perscrutatores, qui post Niebuhrium de municipiis explicatius disseruerunt, prae omnibus dignus est, qui hic nominetur, Rubino vir et ingenii acumine et doctrinae copia ornatissimus, qui non solum de antiquitate Romana in universum complures libros bonae frugis plenos scripsit, sed etiam plane novam de municipiis doctrinam protulit, quae quum Niebuhrii sententiae vel maxime contraria sit, inprimis hic nobis sub examen vocanda erit. Continetur autem Rubinonis quaestio in Bergkii et Caesaris actis philologicis 1844, Nr. 109—111; Nr. 121—124; et 1847, Nr. 86—87; Nr. 100—101; Nr. 121—123. In hac quoque dissertatione, ut recte animadvertit Reinius in recensione saepius posthac laudanda,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

splendent virtutes, quae omnia Rubinonis scripta decorant, multaque rectius, quam ab aliis, docentur et egregie illustrantur. Nihilosecius multa, ne dicam plurima, falsa iis admixta esse equidem judico, et judicarunt jam ante me duumviri, Reinius in censura Rubinonis, quae reperitur in dissertatione de Romanorum municipiis Isenaci 1847 edita, et Kienius in Bergkii et Caesaris act. philol. 1849, Nr. 28—30, qui jam antea in libro de bello sociali composito inde a pag. 33—54 sententiam suam breviter ac summatim proposuit.

Alter, qui statim post Rubinonem vocari debet, idem est Reinius, quem paullo ante contra Rubinonem disputasse notavimus; quid sibi persuasum esset, non solum in recensione illa, verum etiam in Encyclopaedia philologica a Paulyo inchoata Tom. V, pag. 212—232 s. vocc. „Municeps" et „Municipium" diligentius exposuit. Jam hic autem monendum duco in longe plurimis rebus me cum Reinio consentire, nam meo quidem judicio Rubinonis ille castigator, licet passim minus recta ac probabilia contendit, in universum tamen rectissime rei municipalis naturam rationemque adumbravit.

Multi minoris momenti ad municipiorum rationem recte cognoscendam est Chr. Nicol. Graueri dissertationis de re municipali Romanorum particula Kil. 1840 edita. Inde huc maxime pertinet, quod ille primo capite de Festi et Gellii definitionibus disputavit; hujus sententiae in sequentibus obiter tantum ac veluti in transcursu mentionem faciemus. Praeterea minime me fugit Zumptium quoque de eodem argumento libellum composuisse, qui inscribitur: „Ueber die Römischen Ritter und den Unterschied der Benennungen Municipium, Colonia, Praefectura im Römischen Staatsrecht", et Berolini 1840 in lucem prodiit; sed hic libellus, quamquam parando ei operam dedi, non tamen mihi obtigit, ita ut hujus viri sententiam plane omittere cogerer. Porro aliquatenus huc referenda sunt singula singulorum, veluti Madvigii, Peteri aliorumque de hac materia dicta, quae suis locis a nobis afferentur.

Subsistit igitur quaestio nostra intra hos quattuor potissimum viros, Rubinonem, Reinium, Kienium, Grauerum; maxime autem nobis examinanda ac dijudicanda erit Rubinonis sententia. De hac igitur, quid statuendum videatur, dicemus, neque ita multo post, sed pauca ante dicenda sunt. Enimvero dum de re municipali agere instituimus, in amplissimum sane campum evadimus; ergo neminem valde demiraturum esse speramus, quod materiam nostram arctioribus quibusdam limitibus circumscribere conamur, quos ipsa propositi nostri forma ac ratio sibi postulet. Disputaverunt autem illi, quorum sententias examinare suscipimus, de municipiis potissimum, quae et qualia fuerint temporibus liberae rei publicae Romanae: ergo nobis quoque in iisdem finibus subsistere licebit. Porro quum in universum de municipiorum natura et notione nobis nunc disserendum sit, in singulorum municipiorum condicionem diligentius inquirere consulto abstinebimus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

2. Rubinonis sententia examinatur ac dijudicatur.

Jam ad sententiae a Rubinone propositae examen me converto. Persuasit autem ille et sibi ipsi et aliis persuadere conatur vocabulum „municipium“ inde antiquitus ad municipiorum interitum unam habuisse vim et notionem semperque significasse genus hominum, qui in alia civitate cives essent, in alia non cives, sed municipes tantum i. e. munerum et officiorum participes, enimvero quum fieri non potuerit, ut civis Romanus, quod in aliis populis quodammodo licuisse scimus, duarum civitatum una et communiter civis esset, jus civitatis a municipii jure longe diversissimum esse, neque umquam civitatis alicujus civem eumdem et municipem aut municipem atque civem una appellari potuisse. Quod quum ita sit, duplex statuit municipiorum genus: alterum hominum, qui Romae cives, in alia urbe municipes fuerint, alterum maxime peregrinorum, qui Romae municipii jure usi cives fuerint in alia urbe; confer quae Rubino de hac re disputavit act. philol. 1844, p. 868—870 et 1847, pag. 794—798.

Debemus autem in hac censura ab eodem principio proficisci, unde profectus est Rubino. Jure suo ait is l. l. 1844, p. 866 civitatem Romanam omnibus aliis civitatibus fuisse contrariam nec umquam cum ulla alia potuisse conjungi. Nam quod apud alios populos velut apud Graecos factum esse legimus, ut seu commodi seu honoris caussa jus civitatis in pluribus una et diversis urbibus conjungere liceret, id nunquam apud Romanos accidisse certo scimus. Semper Romani inde antiquitus per omnem temporum decursum summa constantia id tenebant, ut qui Romanus fieret civis, eo ipso alius civitatis civis esse necessario desineret; haud minus, qui inter cives peregrinae urbis receptus est, haud amplius civitatis Romanae particeps mansit. Nec sane defuit Ciceroni hujus rei cognitio, sed clare ac dilucide in oratione pro Balbo hic illic notavit id principium proprium quoddam esse ac peculiare juris civilis apud Romanos. Ait ibi cap. 11. §. 28: „Duarum civitatum civis nostro esse jure civili nemo potest; non esse hujus civitatis, qui se alii civitati dicarit, potest;“ et cap. 12, §. 29 sq.: „Nos non possumus et hujus esse civitatis et cujusvis praeterea; ceteris concessum est. Itaque in Graecis civitatibus videmus Athenis Rhodios, Lacedaemonios, ceteros undique adscribi multarumque esse eosdem homines civitatum.“ Ciceronis autem testimonium nemo sane addubitabit, qui secum reputaverit eundem alibi plane similia protulisse; cf. pro Caec. cap. 34, §. 100: „Nam quum ex nostro jure duarum civitatum nemo esse possit, tum amittitur haec civitas denique, quum is, qui profugit, receptus est in exilium, hoc est in aliam civitatem.“ Prorsus ita pro Balb. cap. 13, §. 31 exclamat: „O jura praeclara atque divinitus jam inde a principio Romani nominis a majoribus nostris comparata! ne quis nostrum plus quam unius civitatis esse possit; dissimilitudo enim civitatum varietatem juris habeat necesse est.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hac de re igitur plane equidem cum Rubinone consentio, nec minus verissimam esse doctrinam, unde profectus sit ille, diserte Reinius in censura pag. 4 asseverat: eo magis autem miramur, quod Rubino in subsequentibus iis, quae paulo ante posuit, plane diversa, ne dicam contraria, in medium protulit. Quod quo clarius perspiciatur, ipsum inducamus loquentem. „Diversissimum igitur," ait l. l. pag. 866, „fuit, si quis peregrinus in civitate Romana muneribus fungeretur civilibus. Proprium ejus condicionis erat, ut nunquam ille civibus Romanis adnumeraretur, eamque ob caussam municeps vocatus est." Nonne hic ipse Rubino verbo concessit diversam esse condicionem municipalem ei legi, quam paulo ante posuerat? Qui tandem fieri potuit, ut peregrinus, qui vel civis esset in alia urbe, Romae muneribus fungi posset, quae civilibus essent simillima, ut ipse concessit Rubino? Nonne id plane repugnat principio, quod praemisit? Verum enimvero, qui in duas civitates ita receptus est, ut in altera verus sit civis, in altera autem muneribus, si minus omnibus, at certe longe plerisque cum civibus una fungatur, is profecto, ut Ciceronis verbo utar, duarum est civitatum, quod tamen fieri potuisse umquam et Cicero negat et negavit ipse Rubino. Hinc jam manifestum fit Rubinonis doctrinam de re municipali suis carere fundamentis.

3. *De etymologia et notione voc. „Municeps."*

Jam de vocis „Municeps" etymologia videamus, quam plane neglexit Rubino; recte autem in ea argumentum haud parvi momenti contra illius sententiam inesse perspexit jam notavitque Kienius in censura act. philol. 1849, pag. 222, quod Reinius omisit. Origo autem vocabuli patet, nec ullam praebet difficultatem, apparet enim compositum esse e vocibus „Munia" et „Capere," id quod jam veteribus persuasum fuit[1]). E Niebuhrii quidem sententia syllaba finalis „ceps" omni caret vi intellectuque; sat copiose hac de re locutus est H. R. tom. II, p. 62. s. not. 107. Dudum autem hanc Niebuhrii opinionem spreverunt recentiores, qui in historiae Romanae perscrutatione elaboraverunt, ita ut ampliore de hac re disceptatione nobis nunc merito abstinere liceat. Promiscue autem et eodem sensu „munia" i. e. neutrum plurale adjectivi „munis"[2]) et „munera" dicuntur cf. Cic. p. Mur. cap. 35. §. 73: „omnia haec sunt officia necessariorum, commoda tenuiorum, munia candidatorum." Liv. I, c. 41: „regis munia obire;" ibid. c. 42: „belli pacisque munia facere." Drakenb. ad Liv. XXXVI, 31, 12; Sall. fragm. ap. Non. II, 527; Hor. Epp. II, 2, 131: „vitae

[1]) Cf. Serv. Ars gr. p. 494. Lind.; Pomp. Comment. p. 166. Lind.; Paul. Dig. L, 16, 18; Fest. et Paul. Diac. s. v.; Varr. l. l. V, 179: „Municipes, qui una (i. e. cum civibus) munus fungi debent, dicti." Gell. N. A. XVI, 13: „Municipes a munere capessendo appellati videntur." Ulpian. Dig. L., 1, 1. §. 1: „Proprie municipes appellantur muneris participes recepti in civitatem, ut munera nobiscum facerent."

[2]) Non. Marc. ed. Roth p. 94 s. v. „Munia": „Dicens pro merito gratum me et munem fore."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

munia servare"; Vellej. Pat. II, 70, 1: „Caesar munia ducis obibat." Praesertim hujus vocis usus frequens est apud Tacitum, cujus scriptoris locos collegit omnes ac congessit Boetticherus Lex. Tac. p. 146; vocabuli notionem summatim adumbravit Walch. ad Tac. Agric. c. 13. Isid. Orig. IX, 4 definit; „Municipes ab officio munerum dicti, eo quod publica munia accipiunt. Munia sunt officia, unde et immunes dicuntur, qui nullum gerunt officium." Id. XV, 2: „Municeps a muniis i. e. officiis, quod tantum munia i. e. tributa debita vel munera reddant" cf. Pomp. Dig. L., 16, 239, §. 3 et I, 18. Paullo latius e Kienii judicio vocabuli notio patet; is enim non officia tantum, sed etiam jura civilia una comprehendi autumat; non omnia tamen jura civilia municipibus impertita esse ex iis, quae infra a nobis dicentur, apparebit. Multo magis etiam a vero aberravit A. Gellius, qui Noct. Att. XVI, 13: „muneris honorarii particeps" intellexit, municipia sui tantum aevi, non antiqui in animo habens, recteque ideo jam vituperatus est a Reinio in Encycl. Tom. V, p. 212 et a Rubinone Act. philol. 1844. p. 867. Municeps igitur is est, qui munerum vel munium civilium particeps fit. Dico „particeps fit." Nam quod ad alteram compositionis partem attinet, probe animadvertas „municipes" illos appellatos esse, non „munifices," quod tamen vocabulum alias apud Romanos in usu fuisse scimus; cf. Veget. II, 7: „Munifices milites, qui munera facere coguntur;" Festus s. v. „Beneficiarii;" Plin. H. N. XI, 40, 95: „mamma munifex;" unde porro „munificium" Paul. Dig. XXXIX, 4, 4; id. L., 16, 18 „munifices" milites memorat. Plerumque autem Romani, ut Kienius l. l. jam animadvertit, verbum „munus" cum vocabulis „facere" et „fungi" conjungebant; vide locos jam supra laudatos pag. 8, Not. Igitur qui munia alicujus civitatis capit i. e. municeps uno quasi capiendi actu inter cives recipitur, vel potius ipse se civem facit, antea vero civis non fuit. Unde intelligitur municipes extrinsecus ad civitatem Romanam accessisse.

4. Comparantur inter se „Civis" et „Municeps."

Jam inter se comparentur civis et municeps ac dicatur, quid commune habeant quoque sint diversi. Hic statim nobis impugnanda erit Rubinonis sententia jam prius a Reinio in censura pag. 4—5 et a Kienio l. l. pag. 221 vituperata. Contendit autem ille act. philol. 1844 pag. 868 in historia reipublicae Romanae adjumentum quoddam contineri ratus, inde ab antiquissimis temporibus ad primos usque imperatores contrarias semper fuisse inter se et mansisse notiones illas; quatenus quispiam municeps fuerit, non potuisse civem esse, et quatenus civis fuerit, non municipem esse potuisse. Primum in eo mihi videtur errasse, et visus est Reinio quoque, quod vocabulum „municipium" sicut omnia omnino juris Romani nunquam mutasse vim et intellectum, sed semper plane eandem habuisse potestatem contendit. Meliora docuit jam Niebuhrius, qui H. R. tom. II, pag. 63. 69. 70 cum prioribus antiquitatis Ro-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

manae investigatoribus statuit nomen „municeps“ procedente tempore alium accepisse intellectum; primum enim in incolas urbium Italarum, quibus civitas Romana sine suffragio, postremum etiam in eos, quibus civitas cum suffragio data esset, id transiisse. Rectissime ait nomen municipis, si genuinam ac primitivam vocis vim retinere velis, non in eos quadrasse, quibus plenum et absolutum civitatis jus impertitum sit, sed ob defectum significationis ad novam condicionem significandam idoneae Romanos obsoletam ac reconditam vocem usurpasse; plane eandem esse rationem verborum „Quirites, Populus, Plebs, Latinus.“ Id repugnare opinatur Rubino constantiae ac perpetuitati indolis Romanae in explicandis et excolendis institutis, quae ad rempublicam pertinerent; prorsus vero equidem assentior Reinio, pui Rubinonis sententiam reprobavit ab ejusque immatura vituperatione Niebuhrii dictum vindicavit. Quem enim fugit voces illas, quas Niebuhrius attulit, alio tempore aliam habuisse vim? Quotusquisque reperitur, qui nesciat multas alias ejus generis voces sensim penitus suam notionem mutasse? Nonne qui id negat omnem progressum omnemque perfectionem ex historia Romana tollit? Quum igitur in universum haec res ita sese habeat, cur de municipio idem aut factum esse aut fieri potuisse infitiemur, plane nulla satis probabilis caussa excogitari potest. Defendere quidem et confirmare dictum suum conatus est Rubino act. philol. 1847. p. 798 sq.; sed nihil in his verbis reperio, unde recte eum statuisse clarius appareat.

Porro nemo facile cum Rubinone contendere ausit nunquam aut factum esse aut fieri potuisse, ut idem in eadem civitate civis una et municeps appellaretur. Qui tandem factum esse censebimus, ut tam multi, quos Romae pleno jure civili summisque honoribus usos esse scimus, tamen municipes vocarentur? Respondet ille: „municipes illi fuerunt non Romae, sed in alia urbe. Exempla transeantur; mox apparebit ejusmodi homines nunquam municipes Romanos vel urbis Romae vocatos esse, sed semper „municipes Tusculanos, Amerinos, Surrentinos;“ contra quod ad rationem attinet, quae iis cum Roma urbe intercessit, nunquam non cives Romani appellantur.“ Ergo nihil valebit contra opinionum levitatem rationum gravitas? Enimvero unde fiat, ut municipes nunquam diserte Romani significentur, haud difficulter cognoscitur. Nos enim cum multis aliis statuimus non aliam unquam civitatem municipes recepisse, nisi unam solam rempublicam Romanam: quid igitur opus erat adjectivum „Romanum“ expresse adjungere, quum ab omnibus tacite quodammodo suppleretur? Contra postquam tota oppida municipiorum nomine in civitatem Romanam recipi coepta sunt, ob multitudinem ac diversitatem ejusmodi municipiorum maxime necessarium erat diserte notare, cujusnam urbis municipes intelligendi essent. Omnes igitur illi, quos nominavit Rubino, hoc commune habebant, ut municipes essent urbis Romae, id quod jam sua quisque sponte intellexit, differebant autem eo, quod alii Tusculani, alii Amerini, alii Surrentini erant; licet cum Roma municipalem condicio-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nem incolae municipiorum iniissent, quum in civitatem Romanam recepti essent, tamen si minus unius civitatis separatae ac liberae, at certe unius urbis, ut antea, vinculo et societate inter se continebantur. Huc accedit, quod etiam id contra Rubinonem facile evinci potest cives Romanos, quos ex municipiis oriundos esse constat, velut Ciceronem et Catonem et multos insuper alios propter originem, non, ut ille voluit, propter jus quoddam municipii in patria retentum municipum nomine indutos esse. Jam per se vix credibile videtur illos viros ea tantum condicione, si jus municipii in patria retinerent, municipes et dictos esse et dici potuisse, quo nomine frequenter eos designari notissimum est, qui in municipiis orti erant. Recte igitur Reinius in censura pag. 2 provocat ad usum vocabuli et memorat similiter dici ac „tribulis, popularis," et quae sint id genus alia; conferas, quaeso, Cic. Brut. cap. 70, §. 246: „M. Pontidius municeps noster;" p. A. Cluent. c. 15, §. 43: „graviter id decuriones Larinatium cunctique municipes tulerunt;" ibid. c. 16, §. 46: „C. et L. Fabricii fratres municipum suorum dissimillimi;" Caes. b. c. I, 74: „quem quisque in castris notum aut municipem habebat, conquirit atque evocat;" Liv. VIII, 14: „Lanuvinis civitas data sacraque sua reddita cum eo, ut aedes lucusque Sospitae Junonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano esset." Quod ad Ciceronem potissimum attinet, quem pietatis et honoris caussa in patria urbe jus municipii retinuisse Rubino existumat, mihi quidem prorsus incredibile videtur, ut jam Reinio visum est, illum propter exile jus, non propter originem municipem vocatum esse. Ipse hoc sensisse videtur Rubino cf. act. philol. 1847, p. 687. 796 sqq.; quod vero ibi ad firmandam opinionem suam protulit, fere nihil ad rem valet. Quo tandem jure ibidem affirmat neminem e veteribus grammaticis vel jure consultis notionem verbi in origine posuisse? Initio quidem eos tantum municipes fuisse constat, qui ex aliis civitatibus Romam venissent, sed horum liberi haud dubie et incolarum, qui in municipiis habitabant, natu ut ita dicam municipes erant et vocabantur, ita ut haec condicio vel origini deberetur. Hoc vere a nobis dictum esse confirmant Festi verba s. v.: „Municeps est, ut ait Aelius Gallus, qui in municipio liber natus est." Sat manifesto igitur ipse Festus adversatur Rubinoni.

Ciceronem autem originem suam locis sequentibus in animo habuisse nemo sane negabit. Ait Phil. III, c. 6, §. 15: „Videte, quam despiciamur omnes, qui sumus e municipiis, i. e. omnes plane;" p. Sull. c. 7, §. 23: „Hoc dico, inquit, te esse ex municipio. Fateor et addo etiam, ex eo municipio, unde iterum jam salus huic urbi imperioque missa est. Sed scire ex te pervelim, quam ob rem, qui ex municipiis veniant, peregrini tibi esse videantur?" Convicium igitur municipis et peregrini appellatione ipsi adspersum Cicero, quippe municeps Arpinas, ita rejicit, ut doceat permultos cives e municipiis ortos esse optime de re publica Romana meritos. Hinc, opinor, liquido apparet non ob jus quoddam municipii retentum, sed propter originem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

municipis nomen Ciceroni inditum esse. Contra Rubino l. l. p. 796 sqq. asseverat adjectivum tantum „municipalis“ hoc sensu usurpari, ut ad originem pertineat, nunquam vero vocabulum „municeps.“ Haud diffiteor equidem plerumque apud scriptores, qui aliquem e municipio ortum esse cum afflatu quodam contemptionis indicare vellent, municipales[1]) illos vocari, non municipes: nihilosecius meo quidem judicio recte Reinius notavit verbum „municeps“ quoque ad originem municipalem pertinere. Facile autem intelligitur ob ambiguitatem hujus vocabuli, quippe quo antiquitus ii tantum, qui extrinsecus Romam venissent, postea ii quoque, ut ait Aelius Gallus, designarentur, qui in municipiis nati essent, scriptores adjectivum „municipalis“ praetulisse. At vero quis Rubinonis sententiam rejicere dubitabit, qui Ciceronis verba de legg. II, 1. 3 ante perlegerit. Hic quum Arpinas ille municeps de Arpino dixisset: „haec est mea et fratris mei germana patria,“ quumque Atticus ibid. 2. 5 interrogasset: „sed illud tamen quale est, quod paullo ante dixisti hunc locum germanam patriam esse vestram? numquid duas habetis patrias? an est una illa patria communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma sed Tusculum;“ respondit Cicero: „Ego mehercule et illi et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram civitatis, ut ille Cato, quum Tusculi esset natus, in populi Romani civitatem susceptus est. Ita qumm ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris —: sic nos et eam patriam dicimus, ubi nati et illam, qua excepti sumus. Sed necesse est caritate eam praestare, qua reipublicae nomen universae civitatis est.“

Duplici autem ratione his verbis Rubinonis doctrina redarguitur; primum enim perspicuum fit, quod adhuc evincere studuimus, Ciceronem originem eorum intelligere, quos et ipse et alii praeterea municipes appellaverunt, deinde hoc alterum, quod supra argumentis confirmare conati sumus, Romam tantum, non ullam praeterea civitatem, municipes sibi adscivisse. Duas igitur, ut Cicero ait, municeps habet patrias, unam naturae, alteram juris, Roma autem, ut verbis Reinii utar, omnium municipum est patria nec unquam pro diversa civitate habita cf. Cic. de leg. agr. II, c. 32, §. 86: „Romam communem patriam omnium nostrum;“ Modestin. l. 33. D. ad munic. (50, 1.): „Roma communis nostrum patria est.“

Nos igitur hac de re plane cum Reinio consentimus, qui non solum in Encycl. tom. V, p. 212 notionem vocabuli „municipium“ in universum recte adumbravit, verum etiam in censura pag. 4 sqq., quid sibi persuasum sit, diligentius contra Rubinonem exposuit. Et nobis persuasum est municipem fuisse civem Romanum neque quemquam potuisse dici municipem, nisi qui civis Romanus factus esset. Hujus

[1]) Cf. Juv. Sat. III, 34; VIII, 236 de Cicerone: „Hic novus Arpinas, ignobilis et modo Romae municipalis eques.“ Tac. Ann. IV, 3: „At illa (Livia) se et majores et posteros municipali adultero foedabat.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rei sat multa exstant in veterum scriptis testimonia. Ait Ulpian. l. 1, §. 1. D. ad munic. (50, 1.): „proprio municipes appellantur muneris participes, recepti in civitatem, ut munera nobiscum facerent.“ Nonne hac Ulpiani definitione confirmatur municipes, etiamsi non cives essent pleni et absoluti juris, in universum tamen civibus adnumerari consuevisse? Ait enim ille receptos eos fuisse in civitatem; quaeritur igitur, quid sit civitas. Verissime autem illud a Kienio dictum et expositum est act. philol. l. l. p. 224 sqq.; nihil aliud esse civitatem nisi totum civium complexum; igitur qui in civitatem recipitur, is necessario civibus adscribitur. Insuper hoc quoque certe aliqua cum verisimilitudine inde colligi poterit municipes tantum Romae, non in alia urbe fuisse, diserte enim Ulpianus notavit „nobiscum,“ ita ut de aliis ac Romanis municipibus nil omnino scivisse videatur. Num credibile est Ulpianum, quem tamen harum rerum vel peritissimum fuisse nemo negabit, notionem illam tam arctis limitibus circumscripturum fuisse, si latius patuisset? Idem ex aliis quoque scriptorum Romanorum locis patet, de quibus jam loquemur, rectissimeque jam a Kienio in fine disquisitionis, ubi quae tota disputatione evincere studuit, breviter ac summatim complectitur, l. l. p. 236 s. n. 3 dictum est in definitionibus de Romanis tantum municipiis Romanisque municipibus agi.

Hoc quam vere dictum sit, magis etiam e sequentibus perspicietur. Accedimus nunc ad Festi definitionem s. v. „municeps“ pag. 142 ed. Muell.: „Servilius ajebat initio fuisse, qui ea condicione cives Romani fuissent, ut semper rempublicam separatim a populo Romano haberent, Cumanos, Acerranos, Atellanos, qui aeque cives Romani erant et in legione merebant, sed dignitates non capiebant.“ Hinc quoque intelligitur municipes reapse fuisse cives Romanos licet condicione quadam adstrictos. Nec Rubinonem praeteriit argumentum in hoc loco inesse contra ipsius placitum, quod autem de Servilii verbis passim act. phil. 1844. p. 988 sq.; 1847. p. 802 et p. 977 ad stabiliendam suam sententiam disputavit, mihi quidem fere nihil ad rem facere videtur.

Porro animadversione dignus est locus ap. Scholiast. Cruq. ad Hor. ep. I, 6, 62: „Caerites civitate donati sunt municipesque facti.“ Perperam Rubino act. phil. 1844. p. 879. 883 sqq. ait „civitatem“ ad Romam pertinere, significationem „municipes“ ad Caere. Ecquis sibi praeter illum persuadebit Scholiasten hic de Caerite urbe, non de Roma cogitasse? Profecto qui hunc locum animo libero necdum praeoccupato consideraverit, mox perspiciet ob id ipsum Romae municipes factos esse e Scholiastae sententia Caerites, quod civitate donati sunt. Iterum postea Rubino act. phil. 1847. p. 803 ab hoc argumento jam a Reinio allato se vindicare conatus est, sed meo quidem judicio cum malo successu; nam quod ibi dicit accessionem illam „municipesque facti“ ita plane superfluam fore cupidius quam verius dictum est; omnes enim norunt, quam diligentes sint scriptores Romani in exprimendis iis condicionibus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quae ad rempublicam pertinerent. Ergo hic quoque opinor cum Reinio contra Rubinonem tenebimus civitatis dono Romam illos sibi tamquam municipes arrogasse.

Nec omitti debet locus Livii VIII, 14: „Lanuvini civitate data appellantur municipes.“ Etiam manifestius quam Scholiastes Cruquianus Livius significat municipes, i. e. Romae, Lanuvinos appellari propter datam civitatem Romanam. Nec Scholiastes sane nec Livius, si de alia urbe i. e. Caerite vel Lanuvio cogitassent, urbem, quam in animo habebant, in hoc contextu silentio plane praetermittere potuerunt, sed potius expresse notare debebant. Hujus rei Rubino, ubi de Livii loco disseruit act. phil. 1844 p. 965 et 1847 p. 803, plane nullum habuit respectum.

Adhuc Reinii auctoritatem secuti contra Rubinonem videmur nobis demonstrasse municipes in universum fuisse cives Romanos; falso igitur a Rubinone illud positum est municipes et cives inter se fuisse contrarios. Jam videamus, quo differant; verum enimvero docet jam nominis diversitas non plane idem duabus illis notionibus contineri. De discrimine autem vocum disputare, postquam exposuerunt, quid commune haberent municipes et cives, nescio quo jure plane omiserunt et Reinius et Kienius, ita ut disputatio eorum nobis nunc supplenda sit. Defuit autem municipibus jus suffragii et honorum. Diserte id testantur Paulus Diaconus s. v. „municipium“ p. 127 ed. Muell. „participes fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus, praeterquam de suffragio ferendo aut magistratu capiendo;“ Fest. s. v. „municeps“ p. 142 ed. Muell.: „quibus non licebat magistratum capere, sed tantum muneris partem . . . dignitates non capiebant.“ Non pleno igitur et absoluto jure civili utebantur municipes; erant, ut vernacule dicam, „Halbbürger, Theilbürger,“ cives contra „Vollbürger.“ Ita fit, ut Paulus Diaconus in definitione sua, de qua mox disputabimus, dicat „cives Romanos“ eos non fuisse, i. e. si genuinam ac propriam vocabuli vim ac notionem quam accerrime retinere velis. Praeterea animadversione dignum est, quod idem non ita multo post addidit: „qui post aliquot annos cives Romani effecti sunt,“ i. e. Fundani — Tusculani; non „facti“ ait, sed „effecti.“ Ergo non tum demum cives fieri coeperunt, ita ut plane novam inirent condicionem, sed potius pleniore jure civitatis uti coeperunt, ita ut veri fierent ac germani cives. Cf. Mädvig. Opusc. acad. I, p. 237 sqq.; Mommsen Hist. Rom. ed. pr. tom I, pag. 608 sqq.; id. de numm. Rom. pag. 246 seqq.

4. *De intellectu vocabuli „Municipium.“*

Adhuc de notione vocaculi „municeps“ deque recentiorum sententiis locuti sumus; jam de intellectu vocis „municipium“ agamus, quod arctissime cum illo cohaeret. Nam de eo quoque recentiores in diversas partes abierunt. Optime autem ex mea sententia Reinius in Encyclopaedia l. l. p. 212 ait secundum originem muni-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cipio designari societatem vel sodalitium municipum i. e. locum a municipibus habitatum. Rubinoni contra visum est; is act. phil. 1844 p. 871 definitionem inde a Sigonio usitatam — „municipio oppidum significari jure civium Romanorum donatum“: de antiquo jure Italiae c. 6; Graevii thes. II, p. 474 — vituperat et multos inde errores fluxisse contendit. Id pluribus insuper aliis locis repetiit; conf. act. phil. 1847, p. 683 sqq. et p. 795. Provocat ad verba, quae in definitione Pauli Diaconi epitomatoris leguntur, ubi „municipium“ „genus hominum“ dicitur, et comprobare studet illud vocabulum principio sodalitium tantum hominum significasse et postea demum in sodalitii locum i. e. in intellectum oppidi transiisse. Nec id absurde; nihilosecius cum Reinio tenendum esse arbitror semper locum vel oppidum a scriptoribus intelligi et nobis quoque intelligendum esse. De Pauli Diaconi definitione hic tacere satius duco, quum mox amplius eam explanaturi simus; moneo autem contra Rubinonem illud, de quo dicat, hominum sodalitium nonnisi urbis vel oppidi moenibus contineri; profecte enim ita demum illud efficitur.

Fusius sententiam suam exposuit Reinius in censura doctrinae a Rubinone prolatae p. 1 sq. Recte ibi animadvertit praeter illa Pauli Diaconi verba, de quibus in utramque partem disputari possit, nullum apud veteres locum reperiri, ubi genus tantum hominum intelligatur, contra non paucos, ubi oppida necessario intelligenda sint. Mihi quoque ut ei videtur Paulus brevitatis tantum caussa dixisse „municipium id genus hominum“ pro „municipium oppidum ejus generis hominum.“ Oppidi intellectu Cicero saepissime vocem usurpavit cf. Phil. III, 6. 15 „omnes qui sumus e municipiis;“ p. Planc. c. 8 §. 19 „refertum municipium consularibus;“ ibid. §. 20; c. 9, §. 22 et 23; p. Sull. c. 7, §. 23; p. Arch. c. 4, §. 8. Porro quum Rubino non omnes oppidi incolas municipes fuisse putet, sed interdum partem modo, quae perexigua esse potuerit, qui tandem factum est, ut nomen, quo initio pauci tantum incolae comprehendebantur, sensim ad totius oppidi designationem transiret? Hanc quaestionem movit jam Reinius p. 2, sed quod Rubino act. phil. 1847, p. 795 protulit ad stabiliendam suam sententiam mihi quidem non sufficere videtur ad nodum illum solvendum.

Tenebimus igitur cum Reinio contra Rubinonem, etiamsi proprie hominum sodalitium quoddam municipio designari concedimus, semper tamen locum una vel oppidum intelligendum esse, sine quo sodalitium illud nec esse nec cogitari possit.

5. *De municipiorum generibus.*

Transgredimur nunc ad veterum definitiones, quae nobis servatae sunt, quae fere gravissima est disputationis nostrae pars; hic inprimis nobis agendum erit de explicationibus Pauli Diaconi s. v. „municipium“ et Festi s. v. „municeps,“ quibus quasi fundamento universae de municipiis doctrinae jam Niebuhrius usus est; ejus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

auctoritatem postea fere omnes secuti sunt, qui ejusdem rei tractationi operam navarunt. Diligentius de eodem argumento disseruerunt Rubino l. l. 1844, p. 870—885, et 1847, p. 684 seqq.; Reinius in Encycl. t. V, p. 212 sqq. et in censura p. 5 sqq.; Kienius in bell. social. p. 34 seqq. et act. phil. 1849, p. 222 sqq.; Grauerus in programmate supra laudato p. 2 sqq. Integrum autem locum et Pauli Diaconi et Festi huc transscribere volui, quo facilius examinari et dijudicari queant diversae diversorum explicationes.

Ait autem Paulus diaconus, Festi epitomator: „Municipium id genus hominum dicitur, qui quum Romam venissent neque cives Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus praeterquam de suffragio ferendo aut magistratu capiendo: sicut fuerunt Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tusculani, qui post aliquot annos cives Romani effecti sunt. Alio modo quum id genus hominum definitur, quorum civitas universa in civitatem Romanam venit, ut Aricini, Caerites, Anagnini. Tertio quum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, ut municipia essent sua cujusque civitatis et coloniae, ut Tiburtes, Praenestini, Pisani, Urbinates[1]), Nolani, Bononienses, Placentini, Nepesini, Sutrini, Lucenses."

Festi verba autem sunt: „Municeps est, ut ait Aelius Gallus, qui in municipio liber natus est. Item qui in municipio a servitute se liberavit a municipe. Item municipes erant, qui ex aliis civitatibus Romam venissent, quibus non licebat magistratum capere, sed tantum muneris partem. At Servilius[2]) ajebat initio fuisse, qui ea condicione cives Romani fuissent, ut semper rempublicam separatim a populo Romano haberent, ut fuerunt Cumani, Acerrani, Atellani, qui et cives Romani erant et in legione merebant, sed dignitates non capiebant."

Quanti momenti sint hae definitiones ad municipiorum naturam recte cognoscendam omnes post Niebuhrium viri docti probe perspexerunt; ita factum est, ut permulti in explicandis iis operam collocarent. Hac in re vel diversissimas in medium prolatas esse interpretationes nemo mirabitur, qui ad rei difficultatem animum advertere voluerit. Nos nunc cum omnium sententias enumerare difficile sit, in eo acquiescemus, ut gravissimarum tantum, sicut hucusque fecimus, mentionem faciamus.

Recte autem duo viri, quos et in sequentibus potissimum ante oculos habebimus, dum in universum de Pauli Festique verbis disputarunt, Rubino et Reinius dixerunt, alter: hunc locum accuratissime scriptum esse omniaque continere, quae de municipiis ante legem Juliam dicenda essent, ita ut nullum verbum omissum esset, nullum abundaret, alter: singula omnia bene inter se cohaerere, ita ut veritatis speciem prae se ferrent.

---

[1]) „Arpinates" plurimi codices habent. [2]) „Servi filius" conjecit Niebuhrius.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Triplex igitur hominum genus a Festo et Paulo definitur e temporis diversitate diversum, eamque ob caussam nobis quoque ad illorum exemplar discernendum erit inter municipia vel municipes antiquissimi, medii, recentioris aevi. Nimirum hac in re plane equidem Reinio adstipulor, qui triplicem e tempore distinctionem fecit; at Rubinoni contra visum est; is enim l. l. 1847, p. 686 Reinii sententiam non omni parte reprobavit, plurimis tamen argumentis impugnavit ejusque distinctionem multo arctioribus limitibus circumscribendam esse existumavit. Rubinoni magis placet discrimina singularum definitionum non in temporis, sed in ipsius rei diversitate e natura sua versari. Quod autem hic opponit Reinii interpretationem tunc demum licitam fore, si in definitione sua Paulus loco praesentis „dicitur" imperfectum „dicebatur" posuisset, profecto id cupidius quam consideratius dictum est; loquitur enim Paulus de verbi „municipium" intellectu in universum, nec solum antiquis temporibus sed etiam Pauli aetate a scriptoribus, qui priorem Romae historiam narrarunt, vocabulum eodem sensu haud dubie usurpatum est, etiamsi paullatim in aliam quandam significationis speciem transiisset; quis enim audacter contenderit illos primitivae ac genuinae significationis plane ignaros fuisse? Quapropter cum Reinio statuo primam Pauli definitionem ad municipes vel municipia antiquissimi temporis, secundam ad municipia inde ab anno urbis 416 (338 a. C.) usque ad legem Juliam anno urbis 664 (90 a. C.) latam, tertiam ad municipia post latam illam legem pertinere.

E Rubinonis sententia prima definitione agitur de civibus aliarum civitatum, qui Romae municipes fuerint, secunda et tertia definitione de civibus Romanis, qui municipes fuerint aliorum oppidorum aut eorum, quorum incolae adempta libertate universi in civitatem Romanam transierint, aut eorum, quibus libertas etiamtum permissa sit. At vero, si ipsis Pauli verbis aliquam fidem habere velimus, non sunt opposita et contraria, ut Rubino voluit, municipia primi generis municipiis alterius et tertii generis, id quod pluribus argumentis jam comprobarunt Kienius et Reinius. Aptissime ille l. l. p. 223 de Pauli definitione in universum notavit, qui libero necdum praeoccupato animo loci contextum considerare voluerit, eum omnino dubitare non posse, quin tres definitiones communiter, non una tantum, condicionem contineant, quam municipia illa cum civitate Romana inierint omnia, ita ut de alia civitate quam Romana nullo pacto cogitari debeat. Neque ullum sane in Pauli verbis inest indicium, unde pateat in prima definitione verba fieri de municipiorum genere, cui opposita et fere contraria sint duo subsequentia. Qui tandem Paulus, si tale quid revera in animo habuit, plane silentio praetermiitere potuit primo loco intelligi ab ipso et intelligendos esse etiam aliis cives aliarum civitatum, quibus cum Roma municipalis intercederet ratio, secundo et tertio loco contra cives Romanos, qui in aliis oppidis municipes fuissent? Porro quum inter municipes primi generis et municipes alterius tertiique generis id quoque interesset, quod illis jus honorum modo in sua

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

erat civitate, neque una in municipio i. e. Romae, his contra jus honorum et in civitate sua et in municipio: etiam hujus discriminis mentionem facere debebat Paulus. Quod quum plane omiserit, ecquis sibi persuadebit voluisse eum municipes vel municipia primi generis municipiis opponere, quae secunda et tertia definitio comprehendit? Ex hoc, ut recte jam a Reinio animadversum est, elucet illa municipia ad aliud tempus pertinere, atque alterum et tertium genus. Quam cupide autem Rubino ad confirmandam sententiam suam in explicatione veterum versatus sit, eo quoque patet, quod e Festi verbis „ex aliis civitatibus" conclusit municipes illos, quos ex aliis civitatibus Romam venisse apud Festum legimus, non solum cives fuisse illarum civitatum, priusquam Romam venirent, verum etiam mansisse, postquam Romae municipes facti sint.

Multo rectius igitur de prima definitione Pauli disseruerunt Reinius et Kienius, quorum sententias breviter complectamur. Reinio ita placet antiquissima municipia, ad quae prima definitio pertineat, fuisse oppida, quorum civibus Romam migrare licuisset ibique omnium fere rerum participes fieri, in quibus reipublicae munera vel munia versantur. Quare eos modo vocatos esse „municipes," qui eo ivissent, ubi jus municipii haberent. Sic, ut ipsius verbis utar, „municipes Tusculani erant cives Tusculani, qui Tusculo relicto Romam se contulerant, et municipes nisi quum Romam commigraverant." Denique ut paucis comprehendam, intelligit oppida sociorum, qui foedere isopolitico cum Romanis ita juncti fuerint, ut qui vellet Romam se conferre ibique municeps fieri posset. Ejusmodi foedus Romanis cum Latinis et Hernicis multorum ait auctorum testimoniis comprobari laudatque Dionys. Hal. VI, 63. 95; VII, 53; VIII, 35 sqq.; XI, 2; Liv. II, 22. 33; VII, 12; VIII, 2. 4. Haec de vetustissimis municipiis sententia Niebuhrii ingenio debetur, adoptaruntque eam longe plerique, qui in antiquitatis Romanae indagatione versati sunt, velut Goettling, Röm. Staatsverfassung, Halle 1840, p. 410; Burchardi, Staats- und Rechtsgeschichte der Römer, Stuttg. 1841, p. 62; Puchta, Institutionen, Leipz. 1841, I, p. 216; Ruperti, Röm. Alterth., Hannov. 1842, II, p. 756; Walter, Geschichte des Röm. Rechts, Bonn 1845, I, p. 88 sqq.; Kiene, Röm. Bundesgenossenkrieg p. 34 sqq. In eandem sententiam inclinat Grauerus de munic. p. 5–9; sed eo discrepat, quod condicionem municipalem cum hospitio publico quodammodo commutavit, quod a republica Romana peregrinis et singulis et universis civitatibus datum esse discimus ex his potissimum veterum: Liv. I, 9 ubi de hospitio publico Romanorum cum Sabinis sermo fit; ibid. I, 45; V, 28; XLV, 22; Caes. B. G. I, 31, quo patet id societatis genus Romanis intercessisse praeterea cum Latinis, Rhodiis, Haeduis. Ornari autem hospitio publico ii maximi peregrini solebant, qui egregiis de republica Romanorum meritis insignes erant, sive universae civitates, sive singuli cives. Pariter cives rursus Romani ab alienis civitatibus hospitio publico donabantur, velut Cornelius Balbus a Gaditanis (Cic. p. Balb. c. 18, §. 41),

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

L. Cicero a Syracusanis (Cic. Verr. IV, c. 65, §. 145); denique populi exteri quoque ejusmodi societates inter se habebant, velut Eumenes et Rhodii (Liv. XXXVII, 54). Tantum de Graueri persuasione notasse sufficiat. Idem fere, quod ei, accidit Rupertio quoque, ut Ant. Rom. II, p. 756 hospitium publicum cum municipio sine suffragio confunderet, quod probari non potest.

Plane aliter hac de re statuerunt Madvigius opusc. acad. Havn. 1834, p. 236 sqq. et Ambrosch, Stud. u. Andeut., Breslau 1839, I, p. 183; Lorenz de dictator. Latin. et munic. Grim. 1841, p. 16; de praetor. munic. 1843, p. 7; Zumpt, Ueber die Röm. Ritter ꝛc., p. 57; Mommsen, die Römischen Tribus, Altona 1844, p. 157 sqq.; Peter in Bergk. et Caes. act. phil. 1844, Nr. 26, quorum omnium communem sententiam Reinius in censura p. 8 adumbravit et rejecit, ita ut ampliore de hac re disceptatione abstineamus.

Reinium autem ipsum, qui in plurimis rebus recte vidisse censendus est, compluribus argumentis Kienius act. phil. l. l. p. 231 impugnavit, nec infitior equidem Kienii disputationem mihi ob ingenii acumen, quo in refutando usus est, haud mediocriter placere. Municipium vero ait in prima definitione Pauli vocari complexum peregrinorum, qui Romae commorarentur ibique, licet cives non essent, tamen communiter cum civibus Romanis munera facerent, carerent autem jure suffragii et honorum. Hujus generis erant, ut Paulus dixit, Fundani, Lanuvini, Tusculani, alii, qui post aliquot annos cives Romani effecti sunt. Atque haec hactenus.

In prima igitur definitione Pauli singuli tantum intelliguntur; jam accedimus ad alteram, in qua de oppidis sermo est, nam apertissime Paulus ait: „Alio modo quum id genus hominum definitur, quorum civitas universa in civitatem Romanam venit, ut Aricini, Caerites, Anagnini.“ In hoc autem Reinius cum Rubinone consentit, quod ille quoque oppida intelligit, quorum incolae universi sublata ipsorum civitate in civitatem Romanam venerint, dissentit autem eo, quod non haec sola civitatem accepisse neque sola post legem Juliam fuisse municipia statuit. Omnino vero negat Paulum his verbis de municipiis post legem Juliam locutum esse, et equidem hac in re plane ei assentior, nam ut recte animadvertit, mirum sane esset, si Paulus ea municipia, quae sola vidit posterior aetas, secundo et non tertio loco collocasset. Minus quoque Rubinonis placito id convenit, quod antiquissimorum tantum oppidorum mentio fit, ut Ariciae, Caeritis, Anagniae, quarum urbium memoria postea plane evanuerat. Profecto si illud voluisset Paulus, quod vult Rubino, haud dubie oppida posterioris aetatis citasset.

Multa quoque Kienius l. l. p. 224 seqq. recte contra Rubinonem disputavit. In secunda Pauli definitione ait „genus hominum,“ quod municipium vocetur, universam esse civitatem et illo nomine vocari ob id ipsum, quod in civitatem Romanam pervenerit. Huc igitur pertinere omnes civitates et urbes, quae Romanum jus civile

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nactae sint, sive plenum et absolutum sive condicione quadam deminutum. Jam hinc ait perspicuum fieri municipia, quae hac definitione secunda comprehendantur, et civitates notiones esse inter se contrarias, quum urbs, sicubi municipium fiat, haud amplius civitas maneat. Hac de re cum Rubinone, qui act. phil. 1847, p. 684 egregie disputavit, plane consentit, dissentit autem ad Reinii exemplar eo, quod incolas ejusmodi Romanorum municipiorum una municipes Romanos esse existumat. Non omni tamen parte a Reinii partibus se stare profitetur, sed vituperat eum, quod de municipiis loquatur, „quae rempublicam amisissent," quum libertatem modo civitatis amisissent. Quantopere autem hac in re Reinius erraverit, Rubino quoque l. l. p. 688 sqq. pluribus exposuit.

Quae autem Reinius in Encyclopaedia tom. V, p. 215 sqq. et in censura p. 9 sqq. de altera Pauli definitione deque municipiis alterius periodi protulit, meo quidem judicio multa vere dicta continent, ita ut in longe plerisque rebus cum eo consentire me haud negem. Paulum ait de municipiis agere, quae post solutum foedus Latinum i. e. post annum 338 a. C. fuerint. Hoc tempore enim Romani finito bello Latino, quum victores discessissent, juris aequabilitatem, quae illis cum Latinis intercesserat, sustulerunt jusque Latinorum aliter ordinarunt. „Pauca oppida," ait Reinius, „pro foedere civitatem plenam cum suffragio, alia eaque plurima civitatem sine suffragio acceperunt, aliis libertas reddita et foedus novum, sed minus aequum quam ante ictum." Gravissimum igitur discrimen in eo positum esse contendit, quod alia oppida jure suffragii gauderent, alia carerent, deinde quod reipublicae suae administrationem aliam liberam servarent, alia amissam deplorarent. Contra nulli omnino oppido suffragii jus datum esse Petcrus contendit cf. Bergkii et Caes. act. phil. 1844, Nr. 25 seqq.; sed in hanc quaestionem penitius inquirere nihil nunc attinet; sufficiat, ut Reinii sententiam stabiliamus, Mommsenium de numm. Rom. p. 224 seqq. testem afferre.

Transeamus ad tertiam Pauli definitionem: „Tertio quum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipia essent sua cujusque civitatis et coloniae, ut Tiburtes, Praenestini, Pisani, Urbinates, Nolani, Bononienses, Placentini, Nepesini, Sutrini, Lucenses." Codicum lectionem „municipia essent sua cujusque civitatis" rejecit Trekellius emendavitque „m. e. suae c. c." in sel. antiq. Rom. Hag. 1744, I, p. 311. Hanc emendationem repetiit Niebuhrius, cujus auctoritatem dein plerique secuti sunt. Et confirmat Trekellii emendationem Ulpiani locus l. 1, §. 1. D. ad munic. (50, 1), ubi legimus: „sed nunc abusive dicimus municipes suae cujusque civitatis cives." Alii aliter huic loco medelam afferre conati sunt, sed minus feliciter, velut Grauerus, qui legi jubet: „mun. essent sua jurisque;" et Kienius Bell. soc. p. 39 „municipes essent socii cujusque civitatis et coloniae."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

His praemissis sub examen vocemus diversas sententias a recentioribus de tertia Pauli definitione prolatas. Initium autem examinis, ut adhuc fecimus, faciamns a Rubinonis sententia, quae exposita est passim in dissertationis parte a. 1844 et accuratius etiam in altera parte a. 1847, p. 690 seqq. Lubens equidem concedo in hac quoque explicationis parte non pauca inesse, quae sagaciter excogitata nec sine successu comprobata sint; nihilosecius etiam plura inesse arbitror, quae dubitationem merito moveant. Primum quod ait hic ut in prima definitione singulos tantum describi, qui in quoque oppido municipium civium Romanorum effecerint, mihi quidem temere dictum videtur. Cur enim hic de singulis tantum cogitari debeat, plane nullam equidem caussam video satis probabilem. Contra ut Reinius recte notavit, totus loci contextus et quod non singulos commemoravit Paulus, sed plurali numero velut „Tiburtes, Praenestini cett.“ omnes videtur comprehendisse, satis aperte docet omnes incolas horum oppidorum et intelligi et intelligendos esse, non vero partem modo fortasse perexiguam. Haud minus recte hoc alterum opponitur: „quum ii, qui ad civitatem essent admissi, non in patria sua certam societatem efficerent, sed singuli Romae viverent, quomodo poterant nomine „municipiorum,“ in quo societatis certae notio inest, appellari?“ Porro etiam ex allatis exemplis, in quibus plura sunt oppida, quae postrema in civitatem Romanam venerunt, haud temere colligi poterit recentissima in hoc genere inesse municipia; nec sane Paulus, si Rubinonis dictum exprimere voluisset, dixisset „municeps coloniae,“ unde idem veresimiliter colligi poterit de municipiis recentioris non prioris aetatis agi.

Multo magis mihi placent, quae Reinius in censura p. 11 seqq. de sua ipsius sententia fusius disseruit, tertia Pauli definitione contineri municipia novissima lege Julia et lege Plautia Papiria a. 90 et a. 89 a. C. latis orta, quod et verba ipsa et exempla addita ostendant. Neque deest omnium fere doctorum consensio ut O. Muelleri, Madvigii, Zumptii, Goettlingii, Walteri, Kienii, aliorum; iis tamen, quae Kienius Bell. soc. p. 215 seqq. disputavit, falsa admixta esse recte et accurate Reinius l. l. disseruit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf